Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31651
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

hac cognovi virtutem christi et orationem virginis, quoniam omnes vos confudit et liquefecit sicut fumum. Propter quod consigno me ipsum. et renuntio tibi et demoniis tuis dicens. Gratias tibi christe fili dei salvator mundi. Tu autem diabole audi me. Habeo christum dominum qui me salvum fecit. Tunc diabolus discessit confusus. Cyprianus autem vadens ad episcopum, cecidit ad pedes eius dicens. Famule dei excelsi cathecizza me. et signa me in christi noticia. Beatus autem antimus putans ne forte ecclesiam vellet in errorem mittere, expulit eum dicens. Sufficiunt tibi cypriane hi qui foris sunt, nichil potes adversus ecclesiam dei. invicta est enim virtus eius. Cyprianus dixit. Certus sum et ego quia invicta est virtus christi. Hoc te enim que transmisi, transmisi demonum principes. et ipsum diabolum ad sanctam virginem iustinam ut aliqua racione seducerent eam, et virtute crucis et orationibus fugavit eos. et ipsum diabolum. Propter quod deprecor te miserere mei. et salva animam meam. Episcopus autem gracias agens deo benedixit eum, et permisit ei ire dicens. Festina fili ad ecclesiam, et orationem sine cessacione redde deo. Cyprianus autem vadens in domum suam omnia idola confregit, et per totam noctem plorabat dicens. Quomodo ausus sum apparere virtuti christi. cum tanta mala fecerim. Quomodo benedicam eum more meo. cum invocaverim demones inmundos et comederim de pollutis sacrificiorum. Et nunc positus sum in cinere. miserere mei. misericordiam dei sustinens. In magna autem die sabbati. vadens ad ecclesiam oravit dicens. Domine ihesu christe si dignus sum vocari servus tuus, da mihi audire p'sp̄m sanctum. Ingressus vero in ecclesiam sanctam querebat a sanctis scripturis verbum consolationis. Et cum ingressus esset limen ecclesie, qui psallebant exclamaverunt dicentes: Salvum fac servum tuum domine deus meus sperantem in te. Et iterum lectio prophete. Ecce intelliget puer meus, exaltabitur et glorificabitur nimis. Et iterum in psalmo. Vidisti domine ne sileas. domine ne discedas a me. Et iterum apostolus. Christus nos redemit de maledictione legis. Et iterum in sancto euangelio. Filius meus hic perierat et inventus est. Et post hoc clamabat dicens. Procedite catecumini. Cyprianus autem sedebat. Et dixit ei asterius diaconus. Surge exi cypriane. Dixit ei cyprianus. Vivit christus qui demones confudit. et virginem salvavit. et mei misertus est, quia non exeam nisi perfectus factus fuero servus christi. Diaconus autem nunciavit hec episcopo. Convocans autem eum episcopus et interrogans voluntatem eius secundum consuetudinem ecclesie et inquirens diligenter omnia catecizavit eum et sic eum baptizavit. Post aliquot autem tempus factus est diaconus sanctorum sacramentorum christi. et gratia data est illi adversum demones. et omnem infirmitatem sanabat. Multos autem de gentili errore convertens fecit christianos. Erat autem vita eius irreprehensibilis, et mores sine malicia. Completo autem anno promotus est in presbiterum. et permansit sedecim annos in officio presbiterii. Beatus autem antimus previdens exitum suum, convocat synodum episcoporum et ordinavit sanctum cyprianum episcopum, et statim migravit ad dominum. Cyprianus vero episcopus sanctam iustinam virginem promovit in monasterio virginum abbatissam, et constituit eam matrem monasteriorum virginum. Multos vero cyprianus illuminabat per verbum dei. et convertens augebat christi gregem. Cum completi fuissent prophetici sermones. et que a vero propheta